

Alte Drucke

**Æterni benigni'q; Dei || FAVENTE GRATIA, || PRÆSIDE
VIRO CLARISSIMO, || DOMINO IACOBO SCHEGKIO,
PHILOSOPHIAE, artisq[ue] Medicæ Doctore & ...**

Schegk, Jakob

Tubingae, 1567

VD16 ZV 30580

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-150145

Æterni benigniq; Dei

FAVENTE GRATIA,
PRÆSIDE VIRO CLARISSIMO,

DOMINO IACOBO SCHEGKIO, PHILOSOPHIA, artiscq; Medicæ Doctore & Professore in inclyta Academia Tubingensi celeberrimo, præceptore suo omni reuerentia & pietate colendo, M. ANDREAS

PLANERVS, Athelinus, Medicinæ Studiosus,

supscriptas cum quæstione *thesis* 13. Decembris, hora ante meridiem septima, in æde

D. virginis sacra, pro ingenij viribus defendere & tueri conabitur.

* *
*



TVBINGÆ, M.D.LXVII.

Acting Secretary

U. S. DEPARTMENT OF THE INTERIOR

WASHINGTON, D. C.

OFFICE OF THE SECRETARY

RECEIVED

SEP 10 1890



THE SECRETARY

Quæstio.

Vtrum dictus vitæ certa methodo tradi possit, sitq; utilis non tantum agrotantibus, sed etiam sanis, & præterea his, qui in vitæ sanitatis conservare student.

THEZIS PRIMA.

Dietarum differentias ab ipsa experientia inventas, & ab antiquis pro gradibus imbecillitatis aut roboris virtutis dispensatas, quatuor esse statuimus, nempe eorum quæ comeduntur, eorum quæ sorbentur, eorum quæ bibuntur, & omnimodam abstinentiam.

2.

Alia etiam est victus divisio, quæ relatione quadam nutriendorum corporum describitur, nempe cum quidam dicitur crassus, quia vires augeat, alius tenuis, quia vires in eodem statu conservet, & tenuis, quia priores vires eo fiant imbecilliores. Hæc tamen differentia quod respectu sanorum corporum sic descripta, ex eo liquet, quod nullus respectu acutè agrotantis victus tenuis dici possit, excepta omnimoda abstinentia, cum alioqui diætæ acutè laborantis vires reficiat, & vegetiores nonnihil reddat.

3.

Ut autem in sanis corporibus robur virtutis augendum alimentis & nequaquam minuendum est, ita in agrotantibus pro ratione morbi his victuum differentiis vii conveniet: in chronicis enim et abidis vires augendæ, in alijs chronicis conservandæ, in acutis tenuis administrandus victus, quo diminuta nonnihil vires per morbum conserventur, ne amplius scilicet decrescant, cum magis & minus in robur & imbecillitatem virtutis cadat.

4.

Quoniam verò secundum plenius & tenuius variant diætæ,

A 2 &

& mediocritatem exactam difficile admodum sit seruare, censemus cum Hippocrate, in mediocribus declinationibus à medio periculosius esse paulò tenuius, quàm paulò plenius nutrire, præsertim magis virtute quàm morbo urgente: at si morbus magis sæuiat, & vires non tamen manifestè decreſcant, deterius est plenius aliquem nutrire quàm tenuius.

5.

Quin etiam imbecillitas ægrotantis distinguenda est, ne circa eam error aliquis in nutritione committatur. Cum enim virtus ægrotantis aliàs propter morbi acumen, aliàs propter defectum nutrimenti prosternatur, si quis in priore casu plenius nutriat, grauius eum peccare, in posteriore verò si quis tenuius nutriat, minus quidem damnosum, sed magis contumeliosum esse errorem statuimus.

6.

Conueniens itaq; forma victus, cuius scilicet scopus est, an ijs quæ comeduntur, aut ijs quæ sorbentur, aut bibuntur, ægrotantem nutriamus, an omnimoda cibi & potus abstinentia vti debeamus, à tribus his principalibus sumitur, nempe robore virtutis, distantia status, & morbi dispositione: quibus ista quoq; accessoria (quæ non ipsam formam dietæ, sed gradus eiusdem distinguunt) addimus, consuetudinem, habitum corporis, & temperamentum hominis.

7.

Iuxta statum ergo distantiam, (quem extrema symptomatum magnitudine, & vltima resistentia ac tolerantia citra aliquam quatuor ætatem, roboris naturalis definimus), in singulis acutis sic forma dietæ describenda esse videtur, ut primo quidem quaternario finiendis morbis perfecta inedia commodè adhibeatur, si valide sint vires, habitus corporis crassior, & alioqui homo tempore sanitatis famem interdum sine incommodo tulit. Duobus autem quaternarijs nempe septenario terminando morbo si vires sufficiant,

eiant, ritè exhibetur melicratum seu potus alius. At morbo tri-
bus quaternarijs, id est, undecimo die defuturo, exhibenda sorbi-
tio tenuis, nempe colata prisana, quarto autem quaternario seu
decimo quarto die finituro morbo integra prisana rectè admini-
stratur. Deniq, qui morbis ex recidiuis acutorum compositis labo-
rant, ita nutriendi sunt, vt dum morbus vehementiam peracuti
seruat, victum huic peracuti offeramus: deinde si remissior sit aut
intermittat omnino duobus ab intermissione diebus, victum ei me-
dium exhibebimus, vt tenuem sorbitionem.

8.

Et hæc quidem victus ratio, quæ sic exhibetur, vt semper mor-
bo ad statum propius accedente suffecturis viribus minuatur, &
in ipso statu nihil exhibeatur, locum habet in ijs morbis, qui ab
initio leuiter incipiunt, & paulatim crescunt, inq, xps abundè
lucent: facultasq, vitalis est robusta, nam alioqui semper cras-
siorem proximè victum ministrabimus, quando vitalis facultas
eum victum non fert, quem morbi constitutio indicauit.

9.

In ijs verò morbis, qui statim ab initio vigent & florent, &
postea paulatim decrescunt, victus forma non est describenda à
distantia status, (cum is sit in principio) sed à coctione morbi su-
menda est. Nam quo tempore morbus crudus existit, omnino te-
nui aut tenuissimo victu vtemur, cum autem coquitur, plenius nu-
triemus, & plenius etiam quo magis coquetur: In ijs deniq, mor-
bis, qui leuiter incipiunt, augentur verò & exacerbantur, & ad
certum augefcentes terminum rursus remittunt ad xps vsq, &
circa xps, tenuem diatam exhibebimus, & à principio paulò
plenius, & post incrementum plenius iidem nutriemus.

10.

Quoniam respectu formæ victus & Dietæ aliàs vires vrgent,
id est, suadent nobis, vt eas cibo & nutrimento conseruemus,
aliquando morbus vrget, id est, suadet, vt cibo ægrotum absti-
neamus,

neamus, censemus, veriusq; signa Medico diligenter consideranda esse, & ex comparatione graduum morbi & virtutis conuenientem agrotanti victum præscribendum.

11.

Cum autem non satis sit diætæ formam agrotanti præscribere, sed & eiusdem quantitatem exhibendi nouisse conueniat, quippe qua incognita natura vel ledatur, vel morbus augeatur, principalem indicationem quantitatis victus à consuetudine & morbi constitutione sumendam esse censemus, coincidentia verò etatem & cæli statum constituimus.

12.

Et siquidem morbi constitutio contrarium non suadeat, tantum dare oportet proportionem, quantum ad consuetudinem homo accipere consuevit. Sin verò sit irridiculus morbi, nonnihil de præscripta à consuetudine quantitate subrahendum erit: ita tamen, ut non multa vasorum inanitio fiat.

13.

Hanc quantitatem statim ab initio quidem exhibebimus, (si nihil impediatur,) sed pro eo ut morbus & eius symptomata creuerunt, de quantitate illa consuetudinis detrahendum paulatim erit, ita ut in statu & circa statum vel nulla vel tenuissima, (suffecturis tamen viribus,) exhibeatur.

14.

Quoniam verò exquisitè scire non possumus crescente morbo & symptomatibus, quantum sit detrahendum de quantitate victus, quam præscripsit consuetudo, satius cum Hippocrate esse existimamus, si urgente morbo paulo minus æquo, quàm si paulo plus æquo exhibeatur, cum illud corrigi facilius possit: contrarium virtute urgente reclaratio suadet.

15.

Mensura tamen quantitatis diætæ qua intelligi possit, plus
an

an minus aequo sit exhibitum, sensus est ægrotantis, qui sine errore potest declarare errorem, qui committitur plus minusue exhibendo quàm conueniat. Si enim post sumptum nutrimentum ægrotum vexat grauitas hypocondriorum, retentio anhelitus, ardor febrilis, sitis, dolor capitis, & reliqua, plus aequo nutrimenti prima oblatione exhibitum esse declaratur: quæ noxa licet grauior, sequente tamen oblatione corrigenda: sin verò sumpto cibo debilitas quædam virium sequatur, & ægrotus plus nutrimenti sumere potuisset, aut amplius etiam desiderasset, constat quod minus aequo ei sit datum, quæ noxa sequente oblatione corrigenda.

16.

Cæterum non ut progressu morbi quantitatem diætæ, ita eiusdem quoque formam immutare licet, cum non sint faciendæ insignes victuum permutationes de vna victus forma in aliam, priusquam peruentum sit in proximam conditionem, & naturam morbi, vbi etiam non temerè, sed cautè & in ægrotantis transseundum erit.

17.

Ac quoniam non continua tantum, sed & discreta diætæ quantitas consideranda sit, numeri quoque æstimationem & coniecturam cum Hippocrate, à consuetudine & à morbi dispositione capi posse arbitramur: quem tamen numerum vel morbi virtutis minuendum, vel virtutis robur augendum præcipit.

18.

Veramque porro quantitatem modus exhibitionis limitat. Si enim vires ægrotantis sint inualidæ, laborauerit autem humorum vel indigentia vel corruptione, parum nutrimenti pro vna vice, sed crebrius exhibebimus: sin verò vires sint imbecilles, & neque humorum vel indigentia vel corruptio adsit, parum nutrimenti & rarius offeremus: quod si vires sint validæ, humorum autem indigentia vel corruptio simul existat, multum nutrimenti, & sæpius

pius dabimus, deniq; viribus validis existentibus, & platorica
dispositione, rarò paucos offeremus.

19.

Sed nec in postremis numeranda est qualitas dietæ, quam duo
potissimum indicant, nempe morbus & consuetudo. Sub morbi ap-
pellatione complector ipsius quoq; causam, item aeris ambientis
temperiem, ad quam regionem & anni tempus reuoco: ad consue-
tudinem autem naturam & ætatem ægrotantis reduco: itaq; con-
suetudo similium, morbus contrariorum usum indicat. Et si omnia
contrariorum usum indicent, is victus est exhibendus, qui quali-
tate insigni morbo aduersetur: sin discrepent inter se indicationes,
à potioribus vel numero vel magnitudine, (non tamè reliquis om-
nino neglectis,) sumenda indicatio qualitatis victus: sin deniq;
paria sint momenta contrariarum indicationum, medius in calefaciens
do, refrigerando, humectando & siccando victus est instituendus.

20.

Et quamvis Hippocrates victum interdum respectu causæ mor-
bificæ describat, sentimus tamè victum principaliter respicere vi-
res & qualitatem morbi, per accidens autem interdum causæ mor-
bificæ, quatenus ea vel soluenda vel astringenda est, opponitur.

21.

Cum autem & medicamentum morbo eiusq; causæ contrariè
opponatur, arbitramur medicamēta ad *δυσκρασίαν* profligandam eo
gradu morbo opponenda esse, quo gradu eius *δυσκρασία ἀκράτος* natu-
rali discesserit, victus verò non eodem gradu opponi, sed paulò in-
fra consistere debet.

22.

Proinde qualitatem victus determinant in gradu naturale
temperamentum affectus, & consuetudo. Et naturale quidem
temperamentum eundem exposcit victum, quem ipse affectus, sed
non eadem ratione eundem: affectus enim contrarium requirit, ut
profligetur è corpore, sed natua temperatura, ut eius usu quod ad-
hibetur

hibetur ad curandum in pristinum statum collocetur: affectus & consuetudo nonnunquam eundem victum, interdum autem contrarium indicant. Et in posteriore casu tria sunt considerata, primo verum sit asuetus calidis & siccis, quia nimirum frigidis & humidis vtens male habuit: secundo, verum ad hanc consuetudinem deuenierit, non quia male ei cesserit vsus frigidorum, sed quia melius & commodius sit vsus calidis & siccis cibis, quàm frigidis: tertio verum nihil planè incommodi senserit, vtens frigidis & humidis. Primo casu vtendum victu qui temporatus sit, aut qui misceatur ex duabus qualitatibus contrarijs, in secundo casu vtendum victu, qui magis refrigerare & humectare valeat, in tertio casu multo liberalius id faciendum.

23.

Considerari etiam tempus idoneum exhibitionis nutrimenti debet, cum & in statu vniuersalis morbi, & particularibus paroxysmis, abstinendum agrotum esse cibo vel tenuissima diæta fouendum vrgente virtute constet: proinde conueniens cibandi & nutriendi tempus erit, desinente aut remittente febre.

24.

Quod si ergo in declinatione nutriendus sit agrotus, & diutius non possit refectio differri, quæ alioqui commodè differretur, non etiam opus est, illud nutrimentum tum statim exhiberi, quod alioqui agrotanti conuenit legitimè nutriendo, sed quodam tenuis ore antea refocilandus est.

25.

Cæterum in Synochis, quæ vnam à principio vsq; ad finem acceSSIONem habent, nutriendi idoneum tempus à consuetudine & facili tollerantia accipi debet, quando cibis illis eo tempore offerendus est, quo facilius morbum tollerant, eoq; diei tempore potissimum, quo prius cibari sunt asueti. Quod si aliquando facilis tolerantia & consuetudo sumendi cibi non coincidunt, prior indicatio erit penes maiorem tolerantiam, quàm penes consuetudinem.

B

26. In

In Febris porro intermittentibus aptissimum tempus est nutriendi, quando iam exhalare cœperit calor, tempus autem illud in medio est inter summum præcedentis febris vigorem, & futuræ accessionis principium: ad quod respicientes dabimus operam, ut quàm longissimè ab utroq; nutriamus: etsi intercapedo huius temporis satis sit magna, facilis est ratio, si brevis, satis difficilis, quæ tamen hoc modo considerari potest.

Hoc breui intercedente tempore aut æger adhuc calens admodum est nutriendus, aut sequentis accessionis inuassione iam iam futura. Proinde summi vigoris moram, prætere a etiam moram accessionis principij sic considerabimus. In summo vigore notandū, an citra magnitudinem febrilis caloris siccus sit, & squalens, an verò citra siccitatem urens febris: priore conditione humectante, victu, quamprimum madefacere oportet corpus, posteriore conditione expectandum, donec plurimus calor remiserit.

Principij accessionis moram sic pensitabimus, an videlicet magna fiat refrigeratio extremorum initio paroxysmi, & ad interiora corporis plurimus sanguis reuocetur, vel an corpus tali symptomate omnino non prematur. Posterius illud non impedit, quo minus nutriatur æger. Si prius accadat sic distinguendum: nam si absq; phlegmone aut succorum redundantia motus ad interiora fiat, nihil incommodabit, si paulò ante accessionem cibum præbueris: at si phlegmone subsit aut succorum abundantia, paulò ante accessionem non cibandum, valde enim nocet sic nutrire, & cum summo periculo est coniunctum. Quare longè antè in declinatione prioris paroxysmi cibandus. Deniq; spacio tanto intercedente inter summum prioris accessionis vigorem & sequentem accessionem, quæ sufficiat binis nutritionibus, ut in tertiana pura semel nutriemus, resoluta omnino priore accessione. Deinde iterum nutriemus,

eriemus, priusquàm secunda accessio incipiat sex horis ante videlicet accessionem.

29.

Quemadmodum in describendis dietarum formis à robore naturali, consuetudine, morbi dispositione, & laborantis temperamento indicationes sumpsimus: sic quatuor hæc potum quoque ægrotanti convenientem indicant. Veruntamen laborantis natura non, nisi si interueniente consuetudine, aliquid indicat, ut tria tantum relinquuntur indicantia, nempe, morbus ipse, virtus, & consuetudo.

30.

Hæc tria, si in vnum conspirent potum, exhibendus scilicet is erit, si indicationes dissentiant, non tantum ipsæ per se, sed etiam gradus in istis considerari debent: & ex comparatione graduum vrgenti magis inferuendum, reliquis tamen non omnino posthabitis.



FINIS.